



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs


**Vindalium, 1646**

Cap. I. Quæ sit Religio, quæ est Iustitia ad Deum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38850**



DE IVSTITIA  
IMPROPRIE' DICTA  
SEV RELIGIONE.



CAPVT I.

*Quid sit Religio, qua est iustitia  
ad Deum.*

SECTIO I.

*An sit virtus.*

CONCLUSIO I.

**R**eligio est virtus moralis,  
omnium perfectissima. Vt  
hoc melius percipias,  
Nota nomen Religionis  
à nobis hic non sumi, pro  
ipso statu Religionis Christianæ, aut  
etiam pro statu Religiosorum, quate-  
nus hic dicit quandam congregationē

hominum, per vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis specialiter Deo seruientium, sed pro quodam habitu, quo inclinamur ad cultum & honorem Deo exhibendum.

Hoc posito, dicendum 1. eiusmodi habitum esse virtutem, quia vt ait S. Thomas, 2. 2. quæst. 8. art. 2. virtus est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Manifestum est autem quod reddere debitum alicui, habet rationem boni; quia per hoc quod aliquis alteri debitum reddit, constituitur in proportione sufficienti respectu illius, quasi conuenienter ordinatus ad ipsum: at ordo ad rationem boni pertinet, sicut modus, & species. Cum ergo ad Religionem pertineat, reddere honorem debitum Deo, sequitur eam inter virtutes numerandam esse.

Dicendum 2. Religionem esse virtutem moralem, non autem Theologicam, quia vt ait S. Doctor art. 5. virtutis Theologicæ obiectum est ultimus finis; esse verò virtutis moralis est, circa ea quæ sunt ad finem. Deus autem non est obiectum Religionis, sed cultus quem Deo exhibet; quare Religio non est virtus Theologica, sed moralis.

Nota 1. cum Religio cultum Deo ex-

DE IUSTITIA. CAP. I. 151  
hibeat, Deum ipsum esse aliquo modo  
illius obiectum materiale, non quidem  
obiectum quod, vel proximum, quia  
sic Religio respicit ipsos actus, per  
quos Deus colitur; sed obiectum cui, &  
remotum, quatenus Deus est ille cui per  
actus internos, vel externos Religionis  
debitus honor redditur, Virtus autem  
Theologica respicit Deum, etiam tan-  
quam obiectum quod, & proximum, ut  
inductione patet; nam per fidem credi-  
mus Deo, & Deum ipsum; per spem spe-  
ramus à Deo, Deum ipsum tanquam  
bonum nostrum; & per charitatem ama-  
mus Deum, non quidem nobis, sed ip-  
sime Deo.

Nota 2. ex eodem articulo 5. in res-  
pensione ad 3. cum Religio sit pars  
iustitiæ, medium in ea accipi, non se-  
cundum passiones, sed secundum æqua-  
litatem inter operationes, quæ sunt ad  
Deum; non quidē simpliciter, quia Deo  
non potest tantum exhiberi, quantum  
ei debetur, sed secundum quandam con-  
siderationem humanæ facultatis, & di-  
uinæ acceptationis. Ita scilicet ut nec  
cultum Deo debitum deneget, nec Deum  
modo illicito colat.

Dicendum 3. Religionem esse virtu-  
tem inter morales præstantissimam.

Probatut ex art. 6. quia ea quæ sunt ad fidem, sortiuntur bonitatem ex ordine ad finem, & ideò quò sunt fini propinquiora, eò sunt meliora. Virtutes autem morales sunt circa ea quæ ordinantur in Deum, sicut in finem: inter quas Religio magis accedit ad Deum, quàm alienæ, in quantum operatur ea quæ directè & immediatè ordinantur in honorem diuinum. Quare Religio præminet inter alias virtutes morales. Quod adhuc magis declaratur, quia omnium consensu, virtutes Theologicae sunt præstantiores moralibus: at Religio magis accedit ad virtutes Theologicas, quàm aliæ virtutes morales: cum illa versetur circa Deum, hæc verò circa proximum, vel circa ipsum operantem. Ex his autem colligi potest, legitimam esse definitionem illam Religionis, qua dicitur, virtus moralis per quam homines debitum cultum, & honorem Deo, tanquam supremo omniũ Domino, & creatori exhibent.

CONCLUSIO II. Religio est vna virtus.) Ita tradit S. Doctor art. 3. & probat, quia habitus distinguuntur secundum diuersam rationem obiecti. Ad religionem autem pertinet exhibere reuerentiam vni Deo, se-

DE IUSTITIA. CAP. I. 53  
cundum vnā rationem, inquantū  
scilicet est primum principium creatio-  
nis, & gubernationis rerum. Et ideò  
manifestum est quòd Religio est vna  
virtus.

Nota 1. hanc resolutionem debere in-  
telligi de vnitāte specifica, vt satis  
patet ex probatione adducta; clarius-  
que confirmatur ex responsionibus ad  
argumenta. Nam cum argumento 1.  
probatum esset, Religionem non esse  
vnā, quia per illam ordinamur ad  
Deū, in quo sunt tres personæ, & mul-  
ta attributa saltem ratione distincta.  
Respondet S. Doctor, tres personas esse  
vnum principium creationis, & guber-  
nationis rerum; diuersas autem ratio-  
nes attributorū concurrere ad rationem  
primi principij, quia Deus producit om-  
nia, & gubernat sapientia, & voluntate,  
& potentia bonitatis suæ; adeòque Re-  
ligionem esse vnā virtutem.

Deinde, cū secundum argumentum  
ex multiplicitate actuum, qui Religioni  
competunt, concluderet eam non esse  
vnā virtutem. Respondet S. Thomas  
id non sequi, quia per omnes actus Re-  
ligionis homo protestatur diuinā ex-  
cellentiam, & subiectionem sui ad Deū,  
vel exhibendo ei aliquid, vel assumen-

do aliquid diuinam. Ex his autem responsionibus, sicut etiam ex tertia constat. S. Doctorem ex vnitatem obiecti formalis, probare vnitatem Religionis: quare sicut vnitas obiecti ab eo assignata est specifica, ita & vnitas quam tribuit Religioni. Verum.

Nota 2. dubium esse, quo sensu dicat S. Thomas, Religionem exhibere reuerentiam Deo, secundum vnani rationem, nempe quatenus est primum principium creationis, & gubernationis rerum: his enim verbis videtur innuere, ipsam excellentiam Dei esse obiectum formale Religionis, quod tamen dici non potest; quia alias sequeretur, Religionem esse proprie virtutem Theologicam. Respondeo id non sequi, nam virtus Theologica immediatè per actum elicitem fertur in Deum, sub ratione aliqua Deitatis; fides enim per se Deum respicit, vt est verax, spes vt est bonus nobis, charitas vt est bonus in se. Religio verò immediatè respicit cultum diuinum, vt Deo debitum; & quia cultus non debetur Deo, nisi ratione excellentiæ prædictæ, hinc respicit excellentiam Dei mediante cultu; adeò vt non virtus ipsa Religionis, sed actus ab ea imperatus habeat Deum pro obiecto formali.

## SECTIO II.

*An sit virtus ab alijs distincta.*

## CONCLUSIO III.

**R**eligio est virtus ab alijs distincta. ) Hoc ostendi potest ex 2<sup>o</sup>. 4<sup>o</sup>. quia cum virtus ordinetur ad bonum, ubi est specialis ratio boni, ibi oportet esse specialem virtutem. Bonum autem ad quod ordinatur Religio, est exhibere Deo debitum honorem, qui debet esse specialis, cum Deo competat singularis excellentia, qua omnia in infinitum transcendit. Confirmatur, nam videmus in rebus humanis. diuersis excellentiis personarum diuersum honorem deberi, alium Patri, aliū Regi, &c.

Nota 1. nonnulla hic esse certa 1. Religionem distingui à tribus virtutibus Theologicis vulgò assignatis, vt satis constat ex dictis. 2. eam etiam distingui à tribus virtutibus moralibus, nempe à prudentia, quæ est virtus intellectualis, qua actiones humanæ diriguntur; à fortitudine, quæ est virtus consistens in moderandis affectibus timoris, & audaciæ; & à temperantia, quæ in doloribus & voluptatibus sen-



suum moderatis versatur. Religio enim non spectat ad intellectum, sed ad partem appetitivam, estque de numero virtutum, quæ dicuntur ad alterum, non autem earum quæ sunt ad se, seu quæ circa passiones occupantur.

Nota 2. aliquod dubium esse, an Religio distinguatur à virtute iustitiæ strictè sumptæ, ut habet locum inter homines. Quia in re pars affirmatiua est communis, quia ad strictam & rigorosam iustitiam humanam tria requiruntur, 1. ut verum reddat debitum. 2. ut integrè & ad æqualitatem reddat. 3. ut versetur circa personam alteram, & omnino distinctam. Ex his autem tribus conditionibus, saltè secūda non habet locū in Religione: cū homo non possit Deo reddere totum, quod illi debet ratione infinitæ suæ excellentiæ, & supremi dominij quod habet in res creatas. Id tamè nō impedit, quin Religio satis propriè dicatur iustitia, cū modo possibili cultū Deo debitū reddat.

Nota 3. maius adhuc dubium esse, an Religio distinguatur à dulia, qua Sæcti honorantur. Et ratio difficultatis est, quia sicut eadē charitate amamus Deū, & proximum: ita dicendum videtur, eandem esse virtutem qua Deum, &

sanctos colimus. Communis tamen sententia est, Religionē esse virtutem à dulia distinctam, propter obiecta formalia distincta: cultus enim qui à Religione procedit, immediatè respicit excellentiam increatam, dulia verò non nisi creatam.

Nec refert, quòd eadem virtute charitatis Deum, & proximum diligamus, non enim est par ratio quia fundamentum amoris est vnitas, cùm aliquem non amemus, nisi aliquo modo vnum nobiscum reputemus: at fundamentum honoris & reuerentiæ est distinctio seu diuersitas, siquidem non honoramus nisi eos, qui nobis sunt superiores quoad dignitatem, quibus proinde nos tanquam viliores subiicimus. Hinc autem fit, nos eadem virtute charitatis qua Deum diligimus, posse etiam diligere proximum, eò quòd eadem gratia quæ facit nos vnum cum Deo, nos vnit cum proximo, & facit quodammodo vnum cum illo. Contra verò virtutem qua Deum colimus, esse distinctam ab ea qua sanctos reueremur; cùm excellentia Dei propter quam ei subiicimur, longè diuersa sit ab excellentia propter quam sanctis honorem exhibemus.


Nota 4. Religionem à pœnitentia, ex

multorum sententia distingui, quia quemadmodum inter homines, observantia qua alterum colimus, propter excellentiam illius, distinguitur à iustitia strictè sumpta, qua ius illius conservamus, vel læsum restituimus: ita ponenda nobis est duplex virtus in ordine ad Deum, quarum altera honorem ei præcisè, propter summam illius excellentiam debitum, exhibeamus; alterâ ius quod habet in res omnes, illæsum conservemus, & ab iniuria vendicemus, quod fit per pœnitentiam. Hoc tamen non caret difficultate, quia ut patet ex supradictis, ratio formalis propter quam Religio colit Deum, non est ipsa excellentia Dei secundum se, sed quatenus Deus est principium creationis & gubernationis rerum. adeoque quatenus habet dominium absolutum in creaturas rationales, & in omnes earum operationes. Quare videtur spectare ad eandem virtutem Religionis, non modo Deum colere propter excellentiam increatam, sed etiam ius divinum defendere, & illæsum servare, in tota latitudine dominij, & iurisdictionis eius.

Nota 5. ex art. 8. Religionem non distingui essentialiter à sanctitate, sed tantum ratione. Nam Religio dicitur,

DE ISVTITIA. CAP. V. 159

secundum quod exhibet Deo debitum famulatum, in his quæ pertinent specialiter ad cultum diuinum, sicut in sacrificiis, obligationibus, & aliis huiusmodi: sanctitas autem dicitur secundum quòd homo non solùm hæc, sed etiam aliarum virtutum opera refert in Deum; vel secundum quod homo se disponit per bona quædam opera, ad cultum diuinum pertinentia.



CAPVT II.

*De actibus internis Religionis.*

---

SECTIO I.

*De deuotione & oratione.*

CONCLUSIO I.

**D**euotio est actus Religionis.) Antequam hoc probetur, supponendum est ex S. Thoma 2. 2. quæst. 82. art. 1. deuotionem dici à deuouendo, adeoque aliud nihil esse quàm, voluntatem quandam promptè tradendi se ad